

internam aëre, eadem extus nihilominus adhuc comprimi pondere 2000. librarum five 20. centenariorum & amplius. Magnam igitur etiamnum sentiri resistantiam necessum est in distrahendis hemisphæriis, nisi obliquius tentetur tractio, ut aëri subrependi occasio trahentisque conatum validè juvandi commoditas inde nascatur.

Causa 2.  
Phæn.

XI. Patet insuper nunc causa cohæsionis duorum hemisphæriorum ligneorum, citra haustûs antliæ procuratæ. Quod enim aliàs antlia præstat aëris partes successivè subtrahendo, idem in illo casu efficit aëris rarefactio. Ignis enim ex accensa stupa sive charta rarefacit admodum aërem inter duo hemisphæria mox jungenda interceptum: per hanc autem ejus rarefactionem, h. e. plurium partium expulsionem, ipsius vis elastica valdè imminuitur, ita ut conjunctis subitò hemisphæriis major multò vis incumbat externi aëris ea comprimantis, quàm est illa aëris inclusi per rarefactionem admodum debilitati, qui hemisphæria deberet ab invicem dimovere. Cohæreant ergò necessum est, quamdiu externo aëri ingressus in cavitatem internam, ad restaurandum elaterium denegatur; id quod cum in ligneis istis fieri diu haut potuerit, non potuit etiam illa cohæsiò durare diutius.

Causa 1. &  
3. Phæn.

XII. Quod denique neque per talem rarefactionem aëris intercepti, neque per applicatæ antliæ haustûs in grandioribus nostris hemisphæriis obtineri potuit, id quod in minutioribus utroque modo facilè procedit; ejus rei causa procul dubio est amplius horum circuitus, qui mille vias pandit aëri externo ad subrependum, loco unius aut paucularum in ambitu minutiorum sese aperientium, inprimis autem quod plana marginalia in tanta amplitudine ita commodè aptari sibi nunquam possint, quin hiatus passim multò majores relinquant, quàm quidem ex coaptatione minutiorum annulorum metuendi sunt. Unde necessum etiam fuit, cum semel, variè priùs illam coadunationem tentando, hemisphæria nostra grandiora arctè coaptata deprehendissemus, aliquot